



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. XXIX. de Verisimili notitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

vacationis sententiam. Ergo adverte quod licet clericus homicida possit renun-
ciare ante sententiam privationis beneficium, etiamsi alius id prius impetrave-
rit, tamen hoc fallit, si in impetratione appositae fuerit dicta clausula, videlicet,
quod renuacatio lite pendente facta cedat in utilitatem impetrantis, ut recte
etiam notat D. Io. Gutierrez. lib. 2. Canon. questio. c. 5. num. 40. Idem de stylo
Rom. Curiae solet etiam apponi in supplica haec clausula: Et cum decreto quod si
N. resignaverit resignatio huiusmodi in favorem Oratoris sit. Et esse censetur post
privatam privationis diffinitivam de super ferendam sententiam. Ex quo etiam sequi-
tur quod si in re ejusmodi clausula, si privandus resignet ex causa permutatio-
nis, possit nihilominus de beneficio taliter resignato provideri illi qui impetra-
vit eventum privationis Staphil. de lict. grat. tit. de Variis mod. vacat. nu. 18.

Sed etiam in Ordinario) Hoc ipsum cum nostro Alphonso voluit Go-
mez, ad hanc Regul. questio. 2. licet ab istis aperte dissentiat Mandos. hic quest. 3.
propter verba Regulæ quæ subrogari concesserit S. N. D. Papa &c.
quibus verbis, inquit clarè constat, quod constitutio hæc non potest verificari
nisi in subrogatione ipsius Papæ tantum: nec responsio illa Alphonsi, exempla
videlicet non restringere Regulam, facit ad rem: quia hic non exempli causa
Papa ita loquitur, sed ad ostendendum super quibus subrogationibus disponat.
Cætera quibus utriusq; Hispani exempla refutantur, videantur apud dictum
Mandos. quest. 3. cui Mandosio ad stipulatur Lancellottus tract. de Attent. 2. p.
cap. 4. in præfat. nu. 414. & doctissimus Azorius lib. 7. Instit. moral. cap. 32. vers.
ultimo quaritur. ut & Flaminius Paris. tract. de Resig. benef. lib. 2. quest. 3. num.
18. ubi limita, nisi subrogatus ab Ordinario obtinuerit novam provisionem à
Papa cum clausula gratiæ surrogationis ac mentione litis & expressione tituli
beneficii, ut fuit decisum in una Pisana Canon. coram R. P. D. de Rubens 19. Octob. 1560.
Aliis limitationes profert Lancellottus tract. de Attentat. part. cap. 3. nu. 106.
quas vide si ulus postulat.

Regula XXVIII. INNOCENTII VIII.
quæ est PAULI V. XXIX.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Regula hæc an habeat locum in Legato.</p> <p>2. Regula Cancell. loquentes de Papa non habent locum in Legato.</p> <p>3. Hæc Regul. emanavit ad tollendam fraudes.</p> | <p>5. Constitutio etiam poenalis si emanat in favorem vivæ debet extendi ad casus similes.</p> <p>6. Hæc Regul. juri comm. conformis est.</p> <p>7. Cautela Curialium circa hanc Regulam.</p> |
|---|---|

Oo 2

8. Curans

8. Curans sibi provideri de beneficio viventis, ad illud fit inhabilis.
9. Alia cautela Curialium circa hanc Regul.
10. An hæc Regula locum habeat in alia vacatione quam per obitum.
11. Hæc Regula pœnalis est & exorbitans.
12. Mors civilis nõ comparatur Naturali nisi in casibus à jure expressis.
13. Verbum *Verisimiliter* in hac Regul. expressum, qualiter accipiat.
14. Arbitrio judicis relinquendum tempus verisimilis notitiæ.
15. Hæc Regul. comprehendit etiam provisiones motu proprio factas.
16. An sub hac Reg. comprehendantur, Commendæ, item dignitates & officia Ecclesiastica.
17. Provisiones contra hujus Reg. dispositionem obtentæ, ne quidem juvant post triennium.
18. Limitatum nisi esset huic Reg. per Papam derogatum, & an aliter Regul. derogare possit?
19. An sub dispositione hujus Reg. gati & Ordinarii comprehenduntur.
20. An dispositio c. i. de Concessione. bend. & hujus Regul. procedat ignorante per obitum possessore.
21. Tempus verisimilis notitiæ quam incipit nisi ab ipso obitu, am occulto, non autem à qua causa putativi obitus.
22. Hæc Regul. an extendenda ad alium quam mortis casum.
23. Onus probandi non incumbit impetranti, sed danti de Regula proposito quod Impetrans probavit obitum præcessisse, & debet probare concludenter.
24. Regula hæc locum sibi vindicat nequit in obitu civili.

*Regula XXVIII. INNOCENTII VIII.
quæ est XXIX. PAULI V.*

DE VERISIMILI NOTITIA.

Item voluit & ordinavit, quod omnes gratiæ quas de quibusvis Ecclesiasticis beneficiis, cum cura & sine cura, secularibus, vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum, & ante datam gratiarum huiusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsarum locis in quibus personæ prædictæ decesserint, ad eisdem D. N. notitiam verisimiliter potuerint pervenisse.

habent illam signaturam, quousque veniat tale tempus infra quod potuit verisimiliter venisse ad notitiam Papae: & cum sunt certi expeditae bullas de illa data in qua verisimiliter &c. Sed contra istos facit: quia sunt inhabiles ad tale beneficium, in quo possunt vivere possessore de iure communi c. 1. de concess. praebend. & maxime tempore illi, quia per regulam Cancellariae inhabitantur ut dixi supra regula xx. Sed ad hoc allegare posset ille curialis quod ipse non impetravit, & si dictum fuerit quod ipse petierit supplicationem &c. potest ipsa replicare quod supp. non facit fidem quoad hoc: vult regula supra xxv. Vidi tamen fieri in curia unam cautelam, quod cum venit cursor de partibus; & ille qui venit impetrat tunc, & nondum erat mortuus secundum tempus requisitum in hac regula: tunc inde ad tres dies impetravit unus alius qui sicubi hoc, & impetravit infra tempus requisitum in hac regula, & obtinuit contra primum, & merito: idem consulo quod habens cursorem, etiam si impetrat & habeat signaturam, tamen maneat per octo dies.

Item quia ista regula loquitur de obitu, nunquid habeat locum in alia vacatione: potest quod erat in partibus fama, quod unus cuius beneficia erant reservata volebat intrare religionem, & ante ingressum volebat renuntiare in manibus Papae, & venit cursor ad curiam non ex parte sua, sed alterius vel etiam ex parte ipsius, & Papa contulit beneficium ipsius, sed nondum lapsus erat tantum tempus, sicut dicit ista regula, an valeat collatum? Et certe crederem quod sit: maxime quia cum sit poenalis & exorbitans, cessat ratio capiende mortis alterius: appellatione enim mortis naturalis non comprehenditur civilis: quia nunquam mors civilis comparatur naturali, nisi in casibus à jure expressis ut in glo. unica in decret. in c. placuit col. xvi. & alia unica in sexto Decretalis in c. inceptum de resor. lib. vi. de quo aliquid per Bald. in l. fi. C. de exi. & cler. & per Sicut. in c. cum sis de conversion. conjug.

Et quia ista regula dicit de verisimili &c: dubitari vidi in curia, quomodo debet intelligi istud verisimiliter, & vidi de facto, quod de Valentia Aragonia venit cursor in X. diebus cum vacanti: & dubitabatur an haberet locum ista regula? & tunc fuit probatum, quod per mare unus cursor venerat alias de Valentia in sex diebus, & communiter probatur quod cursores non poterant venire nisi in XV. diebus, vel ad plus. X. nescio quid fuerit determinatum. Sed in hoc verisimiliter exponerem verisimiliter pro credibili arg. l. 3. in ii. & iii. respon. ff. si pars haer. pet. & tunc tenerem mediam viam, sicut ibi tenet jurisconsultus: & non tenerem illud quod ratio accidit per illam l. & per l. nā ad ea ff. de legi. unde ibi dicitur quod una mulier pepererat in i. & alia v. Aegyptiaca v. ii. & una Alexandrina suis reportata, ut Adriano ostenderetur quae pepererat quatuor uno tempore, & inde ad xl. dies peperit unū alium: tamen ibi jurisconsultus tenet in §. fin. mediam viam, scilicet quod non attenditur in quod ratio fit: sed dicit de diebus nec tribus tantū &c: & sic videretur in casu nostro quod non stremus probationi de v. l. XII. ad mediam partē tenere debemus, scilicet de X. diebus & sic videtur hic consilium juris quantum ad hoc verisimile, est videndum quod dicit Dyn. in c. in primis de reg.

lib. vi. & est bonus text. cum gl. in c. cupientes §. quod si per xx. de elect. lib. vi. sed pro nunc, dico verisimiliter istud relinqui arbitrio Auditorum: ex quo verisimiliter ad eos, vel in arbitrio cujuscunque iudicis iudicatis: casus est in simili in c. cupientes in §. quod si per xx. de elect. lib. vi. facit l. si. ff. quod metus cau. & cap. quia verisimili, de ptesumpt.

COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

Tales provisiones) Etiam motu proprio factas, Gomef. hic quest. 2. Rebuff. in praxi ad hanc Regul. glo. 2. & 3. Auctor Analyt. Comment. ad hanc Regul. num. 11. & ratio est, quia motus proprius non operatur in his, in quibus Princeps non est plenè informatus & quæ facti sunt, Bald. in l. si. C. ad Cornel. l. de sacril. vers. saltem Felii in c. causam quest. 2. nu. 7. de Testib. & non solum in provisionibus de beneficiis Ecclesiasticis, sed etiam in Commendis, ut præter Gomef. hic q. 2. scripsit idem Auctor Analyt. Comment. hic num. 11. & in Dignitatibus & officiis Ecclesiasticis: cum major in istis sit ambitionis ratio, quam in aliis, præsertim cum appellatione beneficii Ecclesiastici veniant Dignitates & officia Ecclesiastica Rebuff. d. loco. ubi etiam in glo. 6. subjicit ejusmodi provisiones ad eò nullas esse, ut ne quidem post triennium juvent, cum non sint colorata: ut decretum de pacificis poss. requirit. in que sive impetratio fuerit facta ab eo, qui nimis prope impetravit, sive etiam ab alio, ut vitetur fraus: quia is qui iter susceperet, impetraret prius alteri, & postea sibi; unde huic fraudi obviandum est Rebuff. ubi supra glo. 5. Limita tamen ista, nisi huic regulæ esset per Papam derogatum. nam licet nonnullis placuerit Papam huic regulæ derogare non posse, inter quos est Auctor Analyt. Comment. ad hanc Reg. num. 6 aut si deroget non recipietur saltem in regno Franciæ Rebuff. in addit. ad hanc Regul. nisi cum facultate, quam proponit Lucius lib. Placitorum Curie tit. 4. placito 11. contraria tamen prævaluit opinio, ut multis probat auctoritatibus Mandol. hic. quest. 5. nu. 4. & seqq. licet rarerer ut modum id concedat Papa, nisi forte in gratiam pensionarum de se & S. Sede benemeritarum.

Locum habet in Legato & Ordinario) Hanc quoque partem affirmativam videlicet Regulam hanc habere etiam locum in Legato & Ordinario multis considerationibus Gomef. hic quest. 1. quibus addit Rebuff. in praxi ad hanc Reg. in glo. verbi, antea fecerit & in addit. verb. in antea fecerit, Paponiù in Arrestis in tit. 4. Arresto. 6. Fran. Marcum decis. Delphin. 1000. lo. Coraf. tract. de ptesumpt. & benef. Ecclesiast. part. 2. c. 3. Ant. Fabrum lib. 1. desinit. Forensium tit. 2. de ptesumpt. 6. à quorum tamen opinione recedere videtur Mandol. hic quest. 1. & Mohed,

& Mohedan. *decif.* 30. *de Prob.* At prior affirmativa tutor & receptor commu-
 ter videtur. nam quoad Legatum, dubium non videtur. siquidem Papa non
 censetur Legato mādare, nisi faciat eodem modo quo ipse concedens vel mandans
 facturus erat. *l. vel universorum ff. de pignor. act. l. unica in fi. ff. de off. pers. tit. 1.*
 Igitur ubicumque Papa voluntatem vel potestatem suam limitavit, ecclesie
 etiam facultatem limitasse sui Legati *cap. in generali de Reg. jur. in 6.* Quo vero
 ad Ordinarium, idem dicendum censent, propter concurrens iuris communis,
 seu ipsum jus commune, cui hęc Regula cōformatur, ut post nostrum Alphon-
 sum hic, & Franc. Ripam *int. 1. num. 65. ff. si cert. pet. scripsit Auctor Analyt.*
 Comment. *ad hanc Reg. nu. 3 & seqq.* Denique quod in Ordinario, & Lega-
 to hęc Reg. procedat, tenet quoque glo. Pragm. *tit. de collat. §. montaner.*
verbo faciendas Philip. Decius l. fin. col. 4. C. de pact. & cons. 358. l. 1. in 172.
in ult. dub. lib. 1. Io. Selva tract. de beneficio p. 3. quest. 46. Io. Igneus l. 3. §. 1. in 172.
num. 33. cum sequentibus. Math. Parcus tract. de Mand. fol. 33. Gravetta collat.
88. nu. 9. Pet. Greg. tract. de benef. cap. 32. nu. 4. Gambar. de off. leg. lib. 2. num.
538. Rosin. de benef. cap. 29. cap. 19. Colmar. in pragmatica sanctione, de colla-
tiō. §. volens verbo faciendas.

C *Cap. 1. de concess. prebend.*) Prædicta constitutio cap. 1. licet declar-
 tales beneficia vivorum obtinentes inhabiles, cessat tamen, seu non procedit
 probabiliter ignorante obitum possessoris, ut docet præter Panor. *in c. post de-*
ditionem, de concess. prebend. Auctor Analyt. Comment. *ad hanc Reg. q. 3. nu. 10.*
 rejecta opinione Gomezi *ad Reg. 20. de Impet. benef. vivent. q. 3. in fin. & Phi-*
 lip. Decius *in ult. nu. 17. C. de pact. Oldrad. conf. 302. Infrascripta nu. 7. Rebut.*
in tract. Nominat. quest. 23. post nu. 22. Io. Selva de benef. part. 3. quest. 1. col. 7.
in fi. & ratio est, quod cessat in hoc casu ratio utriusque constitutionis, nimirum
ambitio, & votum captandæ mortis alienæ, ut quia ad beneficium viventium
adspirabat, quem mortuū putabat ut publicè ferebatur. Verum, etiam si in-
habilis non sit talis impetrans ob bonam fidem, videtur tamen quod non debet
conf. qui lucrum ex sua ignorantia contra jus commune, & sic quod sua igno-
rantia non potest operari, quod tempus quo currit in vita defuncti debet ei
prodesse, & computari ad conficiendum tempus verisimilis notitæ, & ad satis-
faciendum huic Reg. ad finem acquirendi beneficii, sed satis esset quod retroceda-
tur ad finem excusandi eum à pœna, & inhabilitate: ita ut secundum hanc Re-
gulam obtinere posset si inveniretur prior in data, & post tempus verisimilis
notitæ, quod tempus nunquam incipit nisi ab ipso obitu, nec unquam precu-
rere potest etiam ex fama quantumvis publica, & ex iustissimis causis orta. Et
sic licet iusta ignorantia proficit ad excusandum à pœna dicti cap. primi & dictæ
regulæ xx. non tamen prodest ad convalidandam collationem in præteroperam-
tum quia illic damnum, hic verò lucrum versatur; tum quia hęc regula non

PRIVILEGIUM
 REGULARIUM
 ET
 COMMENTUM
 IN REGVM
 CANCELLA
 ANASTOL
 8

aliud considerat, quam tempus ab ipso obitu usque ad collationem, & in eo (ut
 aiunt) pedes figit, & sic non debet ultra citraue transgredi: ut notat glossa pe-
 nultimam in si. in si non fuerint, pro socio Cœpola in tractatu de simulat. contract. in 11.
 p. asumpt. col. III. Unde non refert quantum ad hanc regul. xxviii. an obitus fue-
 rit publicus, vel occultus, in loco mortis, vel alibi: modò verè decesserit: quia
 satis est quòd ab aliquo, vel secreto sciri potuit, & quòd inter obitum, & colla-
 tionem sit tempus sufficiens ad notificandum, vel accedendum, collatori, sive
 per terram, sive per mare, inspecta dispositione, & qualitate temporis, & itine-
 rum: ut præter Gomehum hic quæst. quinta. notat Auctor Analyt. Comment. ad
 ad hanc Reg. num. 15 & seqq.

B Cùm sit pœnalis & exorbitans) Edque non extendenda ad alium, quàm mortis
 cœtum Papon lib. 3. tit. 4. arrest. 2. Rebuff in praxi ad hanc Reg. gloss. 4. incip. per obitum. 22
 ne quidem ad patronorum præsentationem Mohedan. decis. 30. de præbend. num. 2.
 Mort enim civilis naturali non æquiparatur, nisi in casibus à jure expressis, id
 quòd late probat Mandofus hic quæst. one 7. numero 3. Nam in exorbitantibus et-
 iam in paritate rationis, locus non est extensioni Auth. Quas actiones, ubi Bart. alij 23
 C. de sacro, & Eccles. Curt. jun. consil. 6. num. 16. & consil. 10. num. 8. vers. confirmantur
 præmissa. ubi scribit communem, &onus probandi non incumbit impetranti,
 sed danti de regula, supposito quòd impetrans probaverit obitum præcessisse,
 non tamen probaverit diem obitus ex doctrina Bart. in illa ff. de Verb. oblig.
 & debet probare concludenter de non verisimili noticia, ut fuit resolutum co-
 ram D. Aldobrandino de anno 1557. teste Nicol. Garcia tract. de Benef. part. 5. cap. 1.
 num. 45. & seqq. Obitus autem probatur per testes deponentes de voce & fama
 proctis administrulis Farinacius decis. 496. num. 2. part. 2. in Noviss. & ex fide paro-
 chii. Idem Farinacius d. decis. 496. num. 4. consule etiam Mascard. tract. de pro-
 batio. conclus. 1056. 1057. & seqq.

In casibus à jure expressis) Atque hanc esse receptiorem, tutioremque Canoni- 24
 harum opinionem testatur Gomef. ad Reg. de Impet. benef. vacant. per ob. sam. Card.
 quæst. 5. num. 4. cui adde Mandof. hic quæst. 7. qui pro hac parte negativa, quòd
 naturam Regula hæc in obitu civili locum sibi vendicare nequeat plura adducit,
 mutuatatis que pro adversa parte militare videbantur argumentis.

Tempus cur sor in x. diebus) Tempus verisimilis notitiae Leodio Romam esse ix.
 dieum, Rota tùm sapius, tùm novissimè in una Bullarum resignationis Canoni-
 cus S. Pauli de anno 1619. decidit. Lutetia Romam sex diebus, Lugduno
 quinque, Tholosa septem. Caterùm multa de verisimilitudine si quis volet vi-
 dere consulat Traqu. in interpr. l. si unquam in pr. C. de Revoc. donat.

Arbitrio Iudicis) Hoc ipsum probat & sequitur Menochius de arb. jud. lib. 2.
 tit. 1. casu 206. num. 4. & Mandof. hic quæst. 4. antenum. 7. sive iter sit per mare,
 Pp five

sive per terram ut loquitur Rebuff. in addit. ad hanc Reg. in fi. adde Joannem Lucium lib. 1. Placitorum Curia Parisien. sit. 4. Placito xj.

*Argumenta in Reg. XXIX. INNOCENTII VIII.
qua est PAULI V. XXX.*

- | | |
|--|--|
| <p>1. Sola signatura tribuit jus illam habenti.</p> <p>2. Signaturam tantum habens non potest molestare possessorem.</p> <p>3. Executor non potest fulminare processum nisi visa bulla.</p> <p>4. Practica Procuratorum in producendo sumptum bullæ.</p> <p>5. Regula hæc an procedat in officiis profanis?</p> <p>6. An Regul. hæc habeat locum in Brevi Apostolico supplicatione signata introclusa?</p> <p>7. Appellatione commissionis non venit Breve Papæ.</p> <p>8. Appellatione Commissionis simplicis non venit Commissio in qua continetur supplicatio.</p> <p>9. Appellatione simplicis non venit compositum.</p> <p>10. Commissionis verbum comprehendit Commissionem simplicem tantum.</p> <p>11. In Commissione attenditur tempus</p> | <p>præsentationis.</p> <p>12. An hæc Regula locum obtineat in præsentato à Patrono, vel proviso ab Ordinario, qui causam curæ committi litteris non expeditis.</p> <p>13. An dispositio hujus Regulæ procedat in Brevibus Apostolicis?</p> <p>14. An Regula ista obstabit, si litteræ sint quidem confectæ, sed non productæ.</p> <p>15. Quid si litteræ non fuerint confectæ tempore præsentationis commissionis, sed statim post præsentationem fuerint expeditæ?</p> <p>16. Papa an huic Regulæ derogare possit, & quid operetur ejusmodi derogatio.</p> <p>17. Clausula derogatoria hujus Regulæ.</p> <p>18. Executor ante præsentationem litterarum nulliter procedit.</p> <p>19. Sumptum Bullæ probat.</p> <p>20. Sumptum ex registro supplicationum non probat.</p> |
|--|--|

Regula XXIX. INNOCENTII VIII.

qua est XXX. PAULI V.

**NON VALEANT COMMISSIONES CAUSSARUM
NISI LITTERIS EXPEDITIS.**

Item quod omnes & singulæ caussarum commissiones, quas in antea fieri contigerit obtentæ, vel occasione concessionum duntaxat Apostolicarum de beneficio